

nonici, ita ut causae quae eximuntur a re iudicata, eximuntur quoque ab arbitrato. Immo haec locutio generalis necessaria videtur, secus urget quaestio num laudum arbitrale et unica decisio tribunalis (quae sequatur) valeant simul efficere illam *duplicem conformem sententiam*, quae, ex can. 1903, effectus non exiguos operatur circa prosecutionem causae.

Omnes Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Nn. 3 et 4

Quaestiones de nn. 3 et 4 differuntur. Agitur enim de rebus beneficiabilibus et de simonia iuris ecclesiastici, de quibus attendendae sunt normae substantivae quae ab aliis Coetibus condentur.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut deducatur in novum canonem de compromisso in arbitros materia paragraphi 2^{ae} canonis 1927, ut nempe serventur sollemnitates a iure statutae pro alienatione, quando compromissum fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt.

Rev.mus Relator censet propositionem Rev.mi sexti Consultoris non esse acceptandam, nam:

1) si compromissum fiat de bonis temporalibus, res deceditur ad exigentiam iuris, sicut in iudicio contentioso, et ideo nulla licentia requiritur, quia non coimplicat alienationem. Memorare iuvabit quod remissum est ad leges civiles quod attinet ad normas de compromisso. Leges civiles autem generatim tantum arbitrium «ex iure» recipiunt et arbitratore non cognoscunt.

2) si compromissum fiat de rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, non implicatur nisi simonia iuris ecclesiastici de qua nihil forsitan edicetur in novo Codice.

Rev.mi Secretarius et Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Can. 3 (can. 1931 CIC) Quinam arbitri esse nequeant

Consultores censent canonem supprimi posse sive quoad minores sive quoad religiosos, etenim:

a) facta remissione ad ius civile, provident ex se normae civiles num minores excludi debeant a munere arbitri.

b) de religiosis intelligitur quod non possint munus arbitri sine venia superioris accipere.

Ad excommunicatos et infames quod attinet, recognitio canonis differatur, quia expectandae sunt normae de iure poenali.

Can. 4 (novus) De relatione arbitrorum cum foro canonico

Rev.mus Relator dicit can. 1932 CIC esse omnino inutilem et ideo sup-primi posse.

Novum autem canonem proponit his verbis:

«§ 1. Quando, lex civilis exigit confirmationem laudi arbitralis a iudice, intelligitur agi de illo iudice qui eandem controversiam iudicare deberet, si de ea ageretur causa formalis.

§ 2. Pari ratione, si idem ius admittat recursum ad iudicem superiorem, de re videat praeses tribunalis ecclesiastici appellationis».

Quoad § 1

Rev.mus tertius Consultor proponit ut servetur lex civilis etiam quoad confirmationem laudi arbitralis (placet n. 1; non placet n. 6; se abstinere a sententia ferenda n. 1).

Quoad § 2

Omnibus placet.

Adunatio IV^a

die 22 octobris 1969 mane habita

De criteriis pro revisione causarum matrimonialium

Rev.mus Relator quasdam considerationes in sua relatione facit eo fine ut delimitetur materia circa quam versari debent criteria enuntianda pro revisione causarum matrimonialium:

1) Finis nostrae indagacionis non est deploratio defectuum quibus laborat administratio iustitiae in nostris tribunalibus, praesertim in processibus matrimonialibus. Oportet inquirere ex quibus concretis dispositionibus illi defectus corrigi possint.

2) Proponi debent remedia quae sint in manu nostra, i.e. qui legislatores agimus, non quae ab aliis dependent, uti ex. gr. quod iudices fruuntur debita praeparatione.

Rev.mus sextus Consultor tamen notat quod aliquando aliquae normae vim habere possunt ad corrigenda aliqua quae per se non pendent a lege;